PETRUS LOMBARDUS
Admont, 2. Hälfte 12. Jh.
Seite 69v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dilexit in nobis. non quod habeamus sed ut habeamus. sicut medicus egrotos.
et quod in eis diligit non salutem quam cupit reuocare. non morbum quem
cupit expellere. Sic et nos inuicem diligamus. ut quantum possu
mus inuicem ad habendum in nobis dominum ex dilectione attrahamus.

Que caritate diligenda sint.

xc. vii. Aug. in lib. de doctrina christiana.

Sed quae hac dilectione diligenda sint. iam inquiramus. Non
enim omnia ut ait aug. quibus utendum est diligenda sunt. sed ea sola
quae uel nobiscum societate quaedam referuntur in deum. sicut est homo uel an
gelus. uel ad nos relata. beneficio dei per nos indigent ut corpus.
quod ita preceptum est diligi ut ei ordinate prudenterque consulatur.

Si illo precepto iubemur diligere totum proximum et nos totos.

xc. viii. Aug. in eodem.

Hic potest quaeri utrum illo mandato dilectionis proximi. to
tum proximum. i. animam et corpus. nosque ipsos totos diligere
precipiamur. Ad quod dicimus. omne genus diligendarum rerum illis
duobus mandatis contineri. Quatuor enim diligenda sunt ut
ait aug. unum quod supra nos est scilicet deus. alterum quod nos sumus. tertium
quod iuxta nos est. scilicet proximum. quartum quod infra nos est scilicet corpus.
De secundo et quarto nulla precepta danda erant. scilicet ut dili
geremus nos uel corpus nostrum. precipitur autem deus diligi et proximus.
ut autem se quisque diligat precepto non est opus. Quantumlibet enim homo
excidat a uirtute. remanet illi dilectio sui. et dilectio
corporis sui. quia nemo umquam carnem suam odio habuit. Nam
uiri iusti qui corpus suum cruciant. non corpus sed corruptiones
eius et pondus eius oderunt. Hic uidetur aug. tradere. quod ex precep
to non teneamur diligere nos ipsos. uel corpus nostrum. Quod si est.
non omne genus diligendarum rerum illis duobus preceptis con